

221

219

225

215

230

210

270

170

320

120

Ende

Anfang

210

et in terra, sed multum differenter, quod multa experientia didici.  
Cum autem sero factum esset, multi venerunt de civitate in galeam, nobiscum volentes transfretare, inter quos duo homines galeam ingressi sunt, ad quorum ingressum tota galea commota fuit: quibusdam placebat ingressus eorum, aliis dispicebat, quidam optabant, ut prope locarentur, alii jurabant, si secus suos cumbos collocati fuerint, quod galeam resignare vellent et ad aliam transire (**b**) navem; quidam maledicebant patrono propter earum receptionem, et ut verum fateor, si dominus Johannes et ego scivissemus illorum ingressum, aliam galeam elegissemus, et si locassent eos juxta nos, sicut comminabant nobis, in crastinum in aliam galeam transvissemus. Aperte dicam cum suppotione, qui fuerint hospites illi tam male visi. Fuit quidam leno arte aurifaber et gemmarius, qui cum scorto delicatissimo ad nos ingressus est. Hoc scortum a Venetiis Alexandriam advexerat et prostituerat, et adepto lucro turpi redire cum ea volebat. Vicerant autem ambo dominos galeae nostrae precibus multis, eosque sub hac conditione acceptaverunt, ut foemina in sua cumba semper maneret nec adscenderet aliquando, et clamosa non esset aut garrula nec proxax, nullumque admitteret nec ipsi lenoni se submitteret, sed navalii castitate viveret, et si secus repertum fuerit, absque misericordia ambo simul ad proximum littus ejiciendi essent, sive littus sit terra habitabilis sive inhabitabilis, sive Christianorum sive Turcorum, et hoc pacto ingressae sunt istae personae. Sed longa fuit habita concertatio et deliberatio, in quo loco vellent eos locare; aut simul, vel separatim. Multae autem preces fuerunt porrectae domino decano Moguntinensi, ut, si non ambos, saltim foeminam in suam suorumque reciperet cellulam, sed vir prudens nullo modo consentire voluit sciens, non fore tutum cohabitare serpenti et fovere scorponem sinu incaute. Sicque data est eis stantia in carina, ultra malum ad partem prorae, sicut nostra stantia erat ad partem puppis. Et quamvis hae duae personae conditionis displicabilis essent, tamen in veritate dico, quod ita silenter, patienter, pacifice et disciplinate se habuerunt, ut modo non solum non suspectae et despactae essent, sed honestae et bonae ab omnibus haberentur, unde sua pudicitia et honestate omnium in se concitabant affectum. Ipse enim aurifaber erat vir juvenis, mundus, pulcher et rationabilis totusque ad omnes

